



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,  
Academicarum Contemplationum Lib. X**

**Piccolomini, Francesco**

**[Basel], 1590**

**VD16 ZV 12463**

De differentiis positionis Mundi. C. 13.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12918**

que non dissentiunt: vt verò pertinet ad animam illius sphaeræ conducentem ad illum motum, & attrahentem; re vera dissentiunt, nec conciliari possunt. Et quamuis in eoreditu partium in suum locum, consideretur aliquis tractus; non propterea motus ille est violentus: quoniam anima ita trahit, vt mobile est procliue, & natum trahi. Et inde euenit, quod non difficilius trahitur maius, quàm minus corpus; vt Platoni obiiciebat Auerroes.

*De differentiis positionis Mundi.*

CAP. XIII.

**D**ifferentiæ positionis, quoniam modo aliquo oppositionem, & contrarietatem includunt; propterea verè, & propriè in animali perfecto, prædito partibus diuersæ facultatis, diuersæque figuræ inueniuntur: in corpore autem orbiculato, non absolutè; & propriè; sed solùm respectu nostri, vel ratione quarundam proprietatū, considerari possunt. Dum enim rotundum corpus consideramus; in eo ratione propria solùm reperitur medium, & circumferentia. Propterea iure Plato in Timæo eos dānat; qui in vniuerso sursum, & deorsum, ex rei natura distincta inueniri affirmant: corpus enim consimile, & rotundum; non sursum, & deorsum includit, quod ad lōgitudinem pertinet; sed solùm medium, & quod est circa medium. Insuper, conuenienti etiam ratione hoc

dictum est à Platone: quoniam, vt ob figurâ,  
 ita ob motum elementorum; sursum, & deorsum,  
 concedi ex natura rerum in vniuerso, nō  
 debent: nam, ex Platonis sententia, elementa,  
 sui natura; non in rectum, sed in orbem cien-  
 tur. Quare in vniuerso, & ratione figuræ, & ra-  
 tione proprii motus eius; nec sursum, nec de-  
 orsum inueniuntur. At si tertio respicimus ad  
 reditū partiū elementorum in suam naturâ, &  
 locū: quoniam id faciunt per motum rectū; sic  
 in ea rectitudine sursum, & deorsum cōsidera-  
 re valemus: attamen nō est maior ratio, quōd  
 extremū vnum dicatur sursum, quàm aliud;  
 pariter, quōd dicatur deorsum. Nos tamen ad  
 nosmetipsos, & ad nostri corporis dispositio-  
 nem respicientes; quod vergit ad pedes, nun-  
 cupamus deorsum: cū tamen, ratione mo-  
 bilium, sursum sit, vnde mobilia recedunt de-  
 orsum, quō tendunt: adeò, vt deorsum terræ,  
 opponatur ei, quod est deorsum in motu i-  
 gnis. Dextrum, & sinistrum, conueniunt cœ-  
 lo, ratione principij motus: Sic Plato in Epi-  
 nomide Orientem, dextrum; Occidentem, si-  
 nistrum appellat; imitatus in hoc Pythagorâ,  
 & Homerum: quod dextrum, & sinistrum; vt  
 cœlo, ita elementis sub eo positis conuenit:  
 quoniam cuncta per naturam mouentur in  
 orbem; sursum, deorsum, anterius, & poste-  
 rius, solū similitudine aliqua conueniunt  
 cœlo, non propriè. Ideo iure Pythagoras, &  
 post eum Plato, in cœlo dextrum, & sinistrum  
 posue

posuerunt, nulla de aliis differentiis facta mentione: nam cœlum solùm mouetur in orbem, propterea in eo solùm propriè consideratur initium motus: quod dextrum nuncupatur: in animalibus perfectis, & præsertim in homine, omnes positionis differentiæ verè distinctæ inueniuntur; ob diuersitatem figure, positionis, & facultatis membrorum. Sed hoc est dubium, vtrum in homine dextrum à sinistro natura, vel potius sola assuetudine distincta sint. Plato in septimo dialogo de Legibus ait, distinctionem dextri à sinistro pèdere ex praua assuetudine, & ex ignorantia nutricum: rem autem ita se habere ex eo cõstat, quoniam per conuenientem assuetudinem homo euadit ambidexter; & nõnulli rectiùs læua, quàm dextra manu vtuntur.

*In quibus Plato ab Aristotele reprehendatur.*

## CAP. XIII.

**I**N tribus Plato ab Aristotele carpitur; & in tribus inter eos, vt ad præsentem considerationem pertinet, lis esse videtur. Primò, quia Plato in vniuerso negat sursum, & deorsum reperiri; sed medium, & circumferentiam. Secundò, quia Plato in cœlo ponit dextrum, & sinistrum, nulla facta de aliis differentiis mentione: qua de re Arist. in secundo de cœlo eum carpit asserens, errasse Pythagoram, & consequenter Platonem, qui eum sequutus est; cum in cœlo solùm posuerint dextrum, & sinistrum, quæ ex diffe-